

Publication/Creation

June 1949

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ttap9czc>

License and attribution

Wellcome Library; GB.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

los. trita hæc melle admixto reponuntur, cum opus est aqua tepida diluuntur, & fauces exinde perunguntur, cogunturq; inde quam plurimum deuorare qui faucium dolore uexantur, soluit enim uentrem & ita uehementissime prodest.

Item benefacit & hoc medicamentum. hirundinorum pullorum exustorum cineris ✕ i. hyssopi ✕ i. nitri ✕ i. piperis denarij semissem, laseris ✕ ii. hoc medicamento & sæpius fauces & pressius fricari oportet.

Multis & hoc profuit medicamentum. costi, opij, anesi, schœni, cassiæ rufæ, singulorum denarios binos, git denarium unum, amomi uictoriati pondus, asari quod est semen, ✕ ii. aluminis fissi ✕ i. gallæ quod est medium magnitudine ciceris pilulas numero quinq; , croci denarios ii. crocomagmatis uictoriati pondus, myrræ uictoriati pondus, aristolochiæ Græcæ denarios iii. cinnami denarios tres, hirundinum siluestrium exustorum pullorum cineris denarios v. nardispicæ uictoriati pondus, melle attico despumato comprehenduntur hæc omnia diligenter trita: cum autem opus fuerit reparari hoc medicamentum, adijcietur quod satis erit eiusdem mellis & sic faucibus inseretur. hoc Liuiæ Augusta semper compositum habuit, & reconditum in uasculo uitreo, facit enim mirifice aduersum anginam & synanchen.

Medicamentum ad anginam quod deuoratur quantum digito uno tolli uel colligi potest, componitur ex his, rhus syriaci denarij semissem, hyssopi tantundem, cæparum cypriarum capita tria, laseris cyrenaici quantum erui granum est, uini bene odorati cyathos tres. cum uino cæpæ ita teruntur ut soluantur, deinde mittuntur in uas æris rubri atque adijciuntur cætera, & coquantur ad mellis crassitudinem. hinc dabitur bis uel ter digito lingere ei cui medendum est.

Ad synanches molestiam, & faucium dolorem periculosum, efficax medicamen, conficitur diligenter, & reconditum in præsidio habetur. ius in quo hirundinum pulli cocti fuerint accipitur tepens, & intra fauces continetur, atque aliquid inde transmittitur. Sed præcipue contra synanchen prodest, si hirundininos pullos uiuos in nido prenas, & uiuos incendas, ut puluis ex his fiat, die iouis, luna uetere. sed obserua ut in pares in nido inuenias, & quanti fuerint exuras. horum in calida aqua puluerem bibendum dabis, & de ipso puluere digito locum synanches ab intro continges, miraberis remedium, sed in lotis manibus remedium facies.

Rutam, allium, laser, æquali mensura trita, si ex uino gargarizet qui synanchen patitur, certum & præsens remedium sentiet.

Præcantabis ieiunus ieiunum, tenens locum qui erit in causa, digitis tribus, id est medio, pollice, & medicinali, residuis duobus eleuatis dices: exi hodie nata, si ante nata, si hodie creata, si ante creata, hæc pestē, hanc pestilentiam, hunc dolorē, hunc tumorē, hunc ruborem, has tolles, has tonsillas, hunc panum, has paniculas, hanc strumam, hanc strumellam, hanc relegionem, euoco, educo, excanto, de istis membris, medullis.

Ad tonsillas herbæ quæ lingua

Galla mediæ
& interna pilula

Laseris cyrenaici
belzmin.

efficitur ex eo
in quodam

alind mirad
pullos hirundinis

Ecanta?